Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26003
Copyright: Admont, Benediktinerstift

sed non uiuificantur. aut uitam inspiratam penitus amittentes abortiui pereunt. Et isti quidem illis quoque assimilantur. qui intransito mari rubro in deserto prostrati sunt. et promissionis terram non intierunt. Illi autem qui ex aqua et spiritu sancto renati regnum dei perseuerantes inueniunt. illis similes sunt. qui mari rubro et iordane quoque transito terram promissionis pulcre uirtutibus uictores optinuerunt. Illi quoque qui ab hereticis baptizantur baptizati quidem sunt. nec eis repetitur lauacrum carnis. renati tamen nequaquam sunt. quia mortui pereunt. sed nec umquam uixerunt. unde nec saltem illis fetibus comparantur qui uiuificati in materno utero moriuntur antequam proferantur. Qui tamen si ad unitatem ecclesie redeant. et professione catholice fidei matri unice subiciuntur. tunc eo qui in illa sola est christi spiritu uiuificantur. et sic inter eos qui ad uidendum regnum dei renati sunt ipsi quoque computantur. Tamenetsi quasi natalibus differunt ab eis qui in catholica baptizati sunt. sed ad regni eiusdem consortium perueniunt. Quemadmodum Gad et Aser. Dan. et Neptalim de ancillis quidem obscurius nati sunt. sed tamen in diuisione terre nichilominus equum distributionis funiculum sortiti sunt. Iam nunc audita propositione qua quod necessarium sit ad uidendum regnum dei ueritas exposuit. rationem audiamus quam subintulit eidem suo quem erudiendum susceperat auditori. Sequitur. Quod natum est ex carne caro est. et quod natum est ex spiritu spiritus est.

Bonus doctor cui non opus est ut quis eum interroget. non expectauit ut eum Nichodemus interrogaret quare nemo nisi renatus possit introire in regnum dei. sed ultro subtilem ualde subtiliter rationem reddidit. Quod natum est inquit ex carne caro est. et quod natum est ex spiritu spiritus est. Hec ratio prudentem et acutum auditorem desiderat. qui audita hac tamquam celestis dyalectici propositione protinus eodem spiritu quo renatus est suggerente assumat et dicat. Sed omnes homines ex carne nati sunt. ex carne peccatrice deum nescientem. mundum diligentem. post concupiscentias suas euntem. Regnum autem dei totum in spiritu sancto est. totum in spiritu constat et ueritate. Nichil habet terrenum. nichil admittit caducum. nihil uanum habet aut ineptum. Ante omnia tu qui hec loqueris rex atque imperator huius regni dei ex carne quidem natus es. sed non de carne sola. nam de spiritu sancto ex carne uirginea conceptus et natus es. Proinde tu caro quidem et uera caro es. quia ex carne natus es. sed et spiritus es. quia de spiritu sancto conceptus es. Ceteri homines tantum caro sunt. qui de sola carne concepti et nati sunt. Cum ita assumpseris tu quisquis es. concludit ille sic.
Ergo inquit. Non mireris quia dixi tibi. oportet uos nasci DENUO.

Non mireris inquit. nam potius mirandum esset si dixissem hominem non renatum posse introire in regnum dei. Homo enim non renatus caro est. regnum uero dei spiritus est. Hec autem scilicet caro et spiritus contraria sunt. et hec inquit apostolus sibi inuicem aduersantur. Quorum altercantium et inuicem aduersantium rixam impacatam homo non renatus non sentit. quia uidelicet totus caro est. nihil habens de spiritu aduersario carnis. Qui uero autem renatus est et in hac noua generatione adolescit. gues cepit pugnas carnis ac spiritus. quia condelectatur quidem legi dei secundum interiorem hominem. uidet autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis sue. et captiuum se ducentem in lege peccati que est in membris suis. et ingemiscens dicit. Infelix ego homo. quis me liberabit de corpore mortis huius. Quem sic iugiter clamantem cum liberauerit gratia dei. adhuc uiuens iam non est in carne. nescit passiones que per carnem ei erant operantes. et si quid submurmurat ancilla superba. protinus a domina sua ratione districte affligitur. Cum ergo homo non renatus ut predictum est caro sit. dei uero regnum